Hoc est exemplum quorundam privilegiorum concessorum comuni Sarzane per Serenissimum principem
dominum Ludovicum dei gratia Romanorum Imperatorem semper Augustum quorum tenor talis
est

Ludovicus dei gratia romanorum imperator semper augustus. Prudentibus viris officialibus
consilio et comuni terre Sarzane suis et Imperii fidelibus dilectis gratiam suam et omne
bonum. Ex parte vestra fuit maiestati nostre cum instancia supplicatum ut privilegia
libertates et immunitates comuni vestro a divis retro romanorum Imperatoribus predecessoribus
nostris concessa et maxime a dive memorie Frederico primo et secundo confirmare
de Imperiali benivolentia dignaremur. Nos vero attendentes peticionem vestram satis
congruam fore Iuri ac votis vestris favorabiliter annuentes omnia privilegia
libertates et immunitates et iura nobis et vestro comuni per divos retro romanorum
principibus predecessoribus nostris rite et provide sunt concessa imperiali auctoritate et
ex certa scientia confirmamus et etiam innovamus consuetudine aliqua in contrarium
adepta alicuius Iurisdictionis per aliquam personam ecclesiasticam vel secularem in dicta terra
vel eius districtu in preiudicium libertatis vestre et imperii non obstante quam cassamus
et corruptella potius reputamus. Nulli ergo hominum liceat hanc nostre confirmationis
et innovationis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero
contra predicta vel aliquid predictorum venire presumpserit gravem indignationem nostram et
penam centum marcarum auri pro dimidia nostre fiscalis camere et pro alia dimidia
parti lese applicandam se noverit incursurum. In cuius rei testimonium presentes
scribi iussimus et nostre maiestatis sigillo muniri. Datum Pisis Anno domini
Millesimo trecentesimo xxviii Indictione xii die xxvi Novembris Regni nostri anno xv
Imperii vero primo.

Sarzana
Arch. Comunale

s.n.
1328 Nov. 26